



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Obortus in mæstitia lepos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

In sacrificiis cur mel prohibeatur.

nus miremur, si, qui longo post tempore successit, Plato quoque Musas sui temporis meretriculas appellavit. Præceptum vero, uti paulo ante dicebamus in Divinis literis, ne quicquam mellis in sacrificium Domino adoleatur, sed in munus primitiæ ejus offerri possint. Præcipit enim ex parte, illius sapientiæ primitias offerri, non autem pleniùs ea uti: quippe ut fides nostra non in sapientiâ hominum consistere videatur, sed in virtute Dei, ut Paulus in priori ad Corinth. epist. Ea vero de causa mel, ut ait Eucherius, in sacrificiis offerri prohibebatur: quia resoluti blandimentis deliciarum, aut dulcedine voluptatum, non possunt mysteriorum Dei esse participes. Hinc Pascha Domini comeditum amaritudine jubetur, quia sit semper austera distractio veritatis.

DE VITÆ DULCEDINE AMARITIES. CAP. XI.

Attingemus ea quoque, quæ complexu rerum possint in orationem obsoletam coalescere: ut si quis amaritudinem aliquam, aut infortunium, quod antea vitæ suavissimum otium & tranquillitatem exasperet, per hujus generis hieroglyphica explicare voluerit: non alia congruentius pictura signove utetur, quam figurato mellis favo, de summo cujus absinthium pullulet, herba nimium amarissima, quod quidem Lucretianum illud sapere videtur, quod in nostræ vitæ conditione frequenter occurrit.

Lib. 4.
Sic Plato in Philebo,
μικρὸν γλυκύμιον ἢ ἀμάρω dulce ad mixtum, aut γλυκὸν ἀμάρω, dulce amarum à Cicer. ad Attic. epist. lib. 5.

— Medio de fonte lepōrum

Surgit amari aliqua, quod in ipsis floribus angat.

POPULARIS FUGA. CAP. XII.

Comenti sunt nonnulli popularem fugam per examen Apum, & subiectum fumum indicare: quandoquidem Apes nulla re magis consistenter, in fugamq; vertantur, quam fumo supposito. Atque hac similitudine utitur Apollonius Argonautis, in describenda Bebryciorum fuga, simul atque interemptum Amycum conspexere.

OBORTUS IN MOESTITIA LEPOS. CAP. XIII.

Sed longe suavius illud est, quod per Apes ex cadavero Leonis ore prodeuntes innuitur. Pingi potest hoc ubi quis aut à detractoribus male habitus, insigniorem fuerit existimationem assecutus, aut inimicorum contumeliis affectus clarior evaserit, aut ex illatis injuriis creverit. Mordacissimus est enim Leo violentus, & ferox. Apes vero in ejus faucibus mellificantes, prospera & suaavia quæ subsequuntur indicant. Verum historia vetus ansam huic hieroglyphico subministravit quippe Samson Danidanus tribulis, cum in ferocissimi Leonis occursum illapsus esset, ultro bellum adortus eam strangulavit, peremptamque ex publica via in sylvam proximam pertraxit, eamq; ibi in obscondito reliquit. Paucis vero post diebus projectæ belluæ cadaver invisurus eo rediit, ubi mira res oculis objecta est: nam frequens Apum examen in tabidis ejus faucibus favos fabricare occeperant. Unde illi postea quæstionis argumentum fuit, quam Pelistæ juventuti dissolvendam proposuit. Quæ fieri posset, at trucidenta immanisq; res, eademq; voracissima, suavissimum ex ore cibum erogaret? Cuius quidem quæstionis historiam solius uxoris silentio crediderat, ejus fidem & taciturnitatem exploraturus. Hinc illa mox medio convivio, ob rem ab uxore proditam, exclamatio Samsonis plena acerbiter exaudita Nihil esse fœmina fallacius.



PROPHETARUM ORACULA. CAP. XIV.

Propheta Apes dicit Psal. 19. & 119.

Minime vero prætereunda sunt etiam alia, quæ sacris nostrorum literis traduntur: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel & favum ori meo. Et alibi: Judicia Dei dulciora super mel & favum. Omnis enim Prophetia suaves celestis doctrinæ favos, & dulcia divini eloqui mella componit, Et Debora